

minore cum probatione, & adducunt contrariam experientiam, quia videmus aliquos ab initio non facile assentiri primis principiis, & post repetitionem probationum, & assensum facile assentiri, unde qui admittunt infinitum in actu, negant illud principium, omne totum est majus sua parte, & per rationes philosophicas contrarium infirmat assensum, & minuit eorum evidentiam; quare fit admittitur habitus principiorum adhibitis nobis acquiri, idem iudicium de ipso ferendum est, quod fertur a quibusdam de habitibus luxuriae; quia enim natura nostra maxime in Venere proclivis est, innotuit unum, vel alium adum Venereum sufficere pro generatione habitus intus venerei, atque ideo facillime generari, sed difficillime corrumpi, ob momentum, quod habet ab ipsa inclinatione naturae, sic in proposito, quia intellectus suo naturali lumine maxime propendit in principiorum assensum, facillime ex tali assensu generatur habitus, sed semel genitus difficillime corrumpitur ob momentum, quod habet ab ipso naturali lumine intellectus, & evidenter terminorum illa principia constituentium. Vel responderi potest iuxta dicta num. 37. concedendo, quod aliter assentiri primis principiis, cum primum proponuntur, quam post repetitum plures assensus circa illa, quia non ponitur habitus principiorum ad superantem difficultatem, quam ab initio habeant assensum, quam experiri post multam repetitionem illorum; unde per eorum repetitionem, vel cessationem non augetur, vel minuitur facilitas circa eorum creditatem, sed fit major intentio, vel minor ipsius assensus. Dices ex majori, vel minori intentione actus sequi in potentia majorem, vel minorem facilitatem ad ipsum exercendum. Resp. licet hoc interdum sit verum, non tamen in omnibus verificatur, non enim quia lapis magis, vel minus velociter descendit, augetur in eo, vel minuitur facilitas ad descensum, & contingere potest, quod Magister actu minus in seculo facilius aliquam perceptat propositionem, quam actu intentione ex majori conatu potentiae procedente, sed non cum tanta facilitate, percipit discipulus.

44. Disputant hic nonnulli, an habitus principiorum sit idem secundum speciem pro omnibus principiis, vel diversus pro diversis. Et quidem Complut. disp. 20. Log. q. 7. num. 7. dicit multiplicandos non esse species habitus juxta numerum scientiarum non lubal-ternarum, sed unum, ac eundem habitum in specie infima sufficere pro omnibus principiis speculativis, sive universalibus, sive particularibus, ac pariter unum pro omnibus practicis. Rationem sumunt ex Arist. 2. Post. c. ult. ubi docet habitum illum esse virtutem intellectuales certiorum, & adiectum habitum scientiae, in quam ille resolvitur, tamquam in principium efficiens praehabens in se quicquid perfectionis est in scientia, ergo unitas eius fundamta est ex actu; ac universaliori radice, ac proinde non est multiplicandus juxta numerum scientiarum. Tum etiam quia ratio propria formalis, sub qua habitus ille tendit in principia, nempe in ratione, est una, ac eundem habitum in specie infima sufficere pro omnibus principiis speculativis tam universalibus, quam specialibus, & propriis scientiarum.

45. Oppositum tamen verius est, atque ideo in primis statendum est habitus principiorum practicum, quid dicitur synderesis, ex Scot. 2. d. 30. q. 2. & veratur circa illa principia prima in Morali, Bonum est prosequendum, Malum fugiendum, Virtus est amplectenda, vitium est repudiandum; & habitus principiorum speculativorum, de quibus hic est sermo, speciae pluraquam specie distingui; ratio deducitur ex dictis disp. 12. Log. q. 5. art. 3. ubi dicitur differentias practici, & speculativi esse essentialia, aut saltem tales circumferibere, atque illa distinguere inter se essentialiter, & specificiter, tam actus, quam habitus in omni materia, & actus enim, & habitus specie distinguuntur per diversa objecta formalia, ex disp. 2. de An. quaest. 4. sed veritas speculativa quam continent principia speculativa, & circa quam veratur habitus speculativus, tamquam circa proprium objectum, est specie diversa a veritate practica ex dictis ibidem, quia haec ex propria natura ordinatur ad praxim, non autem illa, ergo &c. Quinimo etiam habitus principiorum speculativorum inter se specie distinguuntur, secundum quod in diversis materiis inveniuntur, adeo ut habitus principiorum unius scientiae specie distinguatur ab habitu principiorum alterius, ratio est, quia habitus distinguuntur per actus, & actus per objecta, sed assensus principiorum unius scientiae specie distinguuntur ab assensu principiorum alterius, cum diversae speciae veritates attingant, nam aliam veritatem continet Philosophicum hoc principium, quod natura agit propter finem, & aliam hoc Maternum principium, quod linea paralaela non concurreunt, ergo illi assensus specie diversi generantur pariter habitus specie diversi, nam similes habitus generantur a similibus actibus, & distantes a dissimilibus. Ex quo tandem pariter inferitur, quod si datur habitus etiam pro principiis universalissimis, sit etiam pro diversis diversificans specie habitus, & hoc quidem concinquitur per eandem rationem, nam alia est veritas, quam continet hoc universalissimum principium, quodlibet est, vel non est, ab ea, quam continet illud, omne totum est majus sua parte, & quidem alia specie diversa, ergo assensus unius specie distinguuntur

ab assensu alterius, atque pariter habitus ex ipsis geniti, quia similes habitus generantur ex actibus similibus.

46. Argumentum vero Complut. falsum affirmat, quod nimirum eadem ratio formalis objectiva assensus in omnibus principiis scientiarum, nempe immediata conexio praedicti cum subiecto, quatenus omnibus principiis assentitur in quacumque scientia, aut ex sola terminorum apprehensione, aut inductione sine medio a priori falsum id, inquam, est, quia quavis enim fit eadem ratio formalis generica, est tamen specie diversa pro diversitate scientiarum, & principiorum, quia diverso est veritas immediata unius principii a veritate immediata alterius, nedum materialiter, ut ajunt Complut. sed etiam formaliter, quia unicuique assentitur intellectu, & propter se ipsam sine medio a priori; imò si argumentum eorum urget nedum prohibet eundem specie infima habitum sufficere pro omnibus principiis speculativis, sed etiam pro omnibus, & singulari in universum, tam praedictis, quam speculativis, quia eadem est ratio formalis assentiendi in omnibus, quia omnibus assentitur sine medio habitus formalis assentiendi, imò ad ipsum conclusionem etiam de quocumque habitu scientifico, quod omnes elicit eisdem infimae speciei, quia eadem est ratio formalis assentiendi in omnibus, quatenus omnibus conclusionibus assentitur pro medio demonstrativum. Sicut ergo ad hoc argumentum diceretur, quod utique in omnibus scientiis est eadem ratio formalis assentiendi generica scilicet per medium demonstrativum, sed est diversa specificiter pro diversitate mediorum & principiorum demonstrationis, ita pariter dicendum est in proposito; Et parum ad hoc refert, quod habitus principiorum sit altior, atque nobilior habitu scientifico, ideoque fundamta esse eius unitatem ex altiori, & universaliori radice, licet enim ob id quaedam habeat praerogativas, quibus caret habitus scientificus, at tamen in ordine ad unitatem, & distinctionem, ita se habent, quod tam hic, quam ille habitus distinguuntur per actus, & actus per objecta.

QUESTIO IV.

Quandam sit principium complexum omnium primum, & firmisimum, atque notissimum.

47. Non est hic sermo de ea primate, qua immediatè praedictum conjungitur subiecto, nam omnia principia complexa prima debent hac primate gaudere, quatenus omnia habere debent immediatam connexionem terminorum, adeo ut inde monstrabilia, alioquin prima principia non forent, unde primatias ejusmodi debet aequaliter importare principis, sed sermo est de ea primate, quae importat communitatem quandam, & universalitatem, ex vi cujus principium, quod dicitur sic primum, praecedat ordine naturae omnibus aliis principia, & in ipsum quodammodo resolvantur omnes conclusiones, hac scilicet explicativa primatiam primum, firmisimum, atque notissimum esse hoc impossibile est idem simul esse, & non esse, quod ibi longo discursu probat, sed quavis quod firmat, & notitiam omnes ferè convenienter principium ab Arist. assignatur esse omnium firmisimum, atque notissimum, tamen quod primatatem non omnes conveniunt, unde variae exortae sunt opiniones circa primatatem primi principii, quarum aliquae diredè impugnant Arist. dictum, aliae vero illud limitant, adeo, ut intelligi non debeat in ea universalitate, quae pronuntiatum fuit ab Arist. & quavis haec quaestio sit merè textualis, quibus quaestionibus abstinere propoli ab initio hujus operis, quia tamen difficultates continet non spernendas, & valde apposite in hunc incidit locum, eam expendere libet.

48. Prima opinio est Ant. Andreae 4. Metaph. ubi quavis quae concedat principium illud ab Arist. assignatum esse omnium firmisimum, atque notissimum; tamen quod 5. negat esse omnium absolute primum, & ait esse primum dumtaxat in serie eorum, quae tanquam generalia, & universalissima circumferi solent, qualia sunt, de quolibet verum est affirmare, vel negare; omne totum est majus sua parte, si ab aequalibus aequalia demas &c. respectu, inquam, istorum inquit illud principium esse primum; ac principium simpliciter, & absolute primum esse illud, ens est ens, quod tali ratione probat, quia primum principium debet consistere ex terminis omnium primis, ut termini quoque proportionentur principio, at illud principium, impossibile est idem simul esse, & non esse non collat ex terminis omnium primis, & irresolubilibus, siquidem illud est terminus in superiores conceptus resolubilibus, & ly esse, & non esse, est conceptus aggregatus ex affirmativo, & negativo, at vero cum dicitur, ens est ens, termini sunt omnium primi, quia nihil simpliciter daret potest. Tum quia nulla proportio modalis est primo prima, quia est resolvable in aliam de inesse, sed illud principium impossibile est &c. est propositio modalis, ergo non est primum primum.

49. Secunda opinio quoque negat illud esse primum principium, quod ab Arist. ponitur impossibile est &c. quia est negativum, omnis autem negatio in priori aliqua affirmatione fundatur, ergo datur aliud principium prius illi, in quo fundetur, quale erit hoc necesse est idem esse, vel non esse, vel si termini Dialectici illud explicare volumus, de quolibet verum est affirmare, vel negare, qui opinio etiam Scotus favere videtur 4. Met. in expositione text. 10. ubi ab initio

initio ait, illud principium, impossibile est idem &c. esse affine principio, de quolibet est vera affirmatio, vel negatio, nam quasi ex illo sequitur, & in illo virtualiter continetur, si ergo illud dependet ab illo, & in illo fundatur, jam illud erit primum omnino principium immo contendit aliqui hoc vera fuisse principium ab Arist. positum, & non illud. Supponit autem haec sententia illa duo principia scilicet, impossibile est idem &c. & illud necesse est quodlibet esse, & non esse, esse inter se diversa, quia re vera diversa enunciant; si quidem in priori significatur repugnantia contradictoria, quae est inter ens, & non ens; in posteriori vero significatur inter ea non dari medium, atque ideo quod alterum ipsorum debet semper necessario convenire, sicut autem in contrariis, vel privative oppositis aliud est, quod non possunt simul convenire eidem, aliud vero quod alterum eorum necesse est debet convenire, ut per se manifestum est, ita etiam in contradictoriis oppositis haec duo formaliter, & in rigore diversa sunt, sive ergo haec principia per terminos Metaphysicos explicentur dicendo, impossibile est idem esse, & non esse, necesse est, quodlibet esse, vel non esse, sive per terminos dialecticos dicendo, impossibile est idem simul affirmari, & negari de eodem necesse est idem affirmari, & negari de eodem (nam lubi utriusque terminis promittit traduntur ab Arist.) semper sunt principia distincta, & diversa continere significata, quod etiam approbat Suarez disp. 3. Met. lect. 3. n. 5. & Faber 4. Met. disp. 1. c. 1.

50. Tertia opinio est ipsius Suarez ibidem n. 6. & sequenti distinguit, quod sicut duplex est demonstratio, alia ostensiva, & alia ducens ad quaedam, ita principia sunt duplicis generis, quaedam sunt principia ad demonstrandum a priori quaedam sunt principia ad impossibile ducenda, ut nos quoque distinximus supra num. 7. itaque loquendo de principis demonstrationis a priori, primum principium est definitio entis, vel primae passionis entis; ratio est quia in demonstratione a priori ad demonstrandum passionem de subiecto, vel primam passionem demonstratur de eo per definitionem prioris passionis, igitur in hoc ordine demonstrandi primum principium erit illud, in quo ratio, vel essentia entis distinctè concepta de ipso ente praedicatur; In alio autem genere, seu modo demonstrandi per deductionem ad impossibile, primum principium, in quo totus ille modus demonstrandi nititur, est hoc, impossibile est idem esse, & non esse, quia omnis deductio ad impossibile in hoc tandem sistit, quod sequatur idem simul esse, & non esse, & quando ad hoc non deducitur, non est facta demonstratio impossibilis; postquam vero ad hoc deducitur, illi sibi, tanquam in ultimo termino resolutionis, & notissimo principio, quem dicendi modum sequitur ex nostris Meursii lib. 2. luc. Met. cap. 12.

51. Quarta opinio est Pasqualig. tom. 1. Met. disp. 4. lect. 2. ubi negat principium illud ab Arist. assignatum principium complexum esse primum, quia ratio formalis, sub qua habitus ille tendit in principia, nempe in ratione, est una, ac eundem habitum in specie infima sufficere pro omnibus principiis speculativis, sive universalibus, sive particularibus, ac pariter unum pro omnibus practicis. Rationem sumunt ex Arist. 2. Post. c. ult. ubi docet habitum illum esse virtutem intellectuales certiorum, & adiectum habitum scientiae, in quam ille resolvitur, tamquam in principium efficiens praehabens in se quicquid perfectionis est in scientia, ergo unitas eius fundamta est ex actu; ac universaliori radice, ac proinde non est multiplicandus juxta numerum scientiarum. Tum etiam quia ratio propria formalis, sub qua habitus ille tendit in principia, nempe in ratione, est una, ac eundem habitum in specie infima sufficere pro omnibus principiis speculativis tam universalibus, quam specialibus, & propriis scientiarum.

52. Dicendum tamen est, primum simpliciter, & absolute loquendo principium esse illud ab Arist. assignatum 4. Met. c. 3. q. 4. & 5. Ita Scotus, & Alesius in commentariis ad illa capita cum alii Arist. expolitoribus, & iterum Doctor 4. Met. q. 3. & 1. d. 3. q. 4. art. 2. ubi ex 4. Met. retort primum omnino principium esse illud impossibile est idem esse, & non esse; Probatur autem excludendo in primis omnes, & singulas sententias de primate, & universalitate primi principii; m. relatas; & quidem prima opinio, quod pro primo principio statuebatur illud ens est ens, valde hallucinat nullum ponens discrimen inter primum principium, primaque, propositionem, cum enim principium complexum semper in aliqua propositione consistat, potest duobus modis considerari, vel quatenus propositio simpliciter, vel quatenus principium; & in utroque sensu diversitas de eius primatate philoquodandum est; nam si consideretur in ratione propositionis utique, quae primatatem ex se petenda est, quod non sit propositio negativa, sed affirmativa; quod non sit modalis, sed simplex; quod ergo termini sint simplices, & in alios irresolubiles,

ut arguebat Ant. And. sed si consideretur in ratione principii, si non ex hoc capite eius primatatem attendenda, sed ex conditionibus, quas asserti Arist. loc. cit. nempe, quod si ita certum, ut non contingat circa illud errare; quod sit notissimum absolute, non autem ex conditione aliqua, & tandem quod sit impossibile oppositum venire in mentem alicui, has autem omnes habet conditiones principium illud, impossibile est idem esse, & non esse, ut ubi ex professo probat Arist.

53. Deinde tantum abest, ut propositio illa, ens est ens, sit primum omnium principium, in quod caetera resolvantur, quod potius propria rationem principii non habet, unde aliqua conclusio deduci potest; quia principium complexum dicitur tale in ordine ad aliquam veritatem inferendam, aut conclusionem probandam; sed ex propositione identica non potest syllogisticè inferri aliqua conclusio in rigore Logico; cum ergo talis illa, ens est ens, verum, & proprium principium consistere non valet. Major de se patet. Probatur minor, quia principia non sunt apta syllogisticè disponi, & sic conclusionem inferre, nisi consentiant ex diversis terminis; si autem altera dumtaxat propositio sit identica, non consistit syllogismus tribus terminis, neque aderit medium terminus, in quo propositiones assumptae connectantur ad invicem: tunc enim unus eumtaxat terminus interveniret in illa propositione, non autem aliqua extremitas, quae cum medio termino connecteretur, ergo &c. Consi. quia ut dicitur in Log. quavis praedicatio identica sit certissima, & verissima, unde ajebat Boetius, quod nulla est verior praedicatio, quam cum idem praedicatur de seipso, adhuc tamen dicitur prolixius ad scientiam inepta, quia per eam nihil notificatur ignotum; ergo primum principium, quod inferre debet ad omnes, & singulas veritates manifestandas, omnino ineptè potest consistere in illa propositione identica, ens est ens.

54. Secunda altera quoque opinio, quae primum statuit principium illud necesse est idem esse, vel non esse, in nullo nititur fundamento: quod nimirum hoc principium distinguatur ab illo, impossibile est idem simul esse, & non esse, quavis enim ex vi sermonis, & in virtute propositionum, per primum scilicet explicatur immediatio inter esse, & non esse, quatenus inter illa non potest cadere medium, & per posteriorem repugnantia contradictoria, inter illa; hac tamen in contradictione oppositis nullatenus separari possunt, cum inter ea nullum datur medium: unde qui dicit impossibile est idem simul esse, & non esse dicit etiam impliciter necesse est idem esse, vel non esse, quare licet in contrariis, & privative oppositis aliud sit, quod non possint convenire eidem, & aliud, quod alterum eorum necessario debeat convenire, quia primum separari potest a secundo, si sint talia contraria, inter quae datur medium, non ita tamen dicendum est in contradictione oppositis, ut arguebat secunda opinio, quia inter ea nunquam datur potest medium, ergo quavis duo illi conceptus in contrariis oppositis, ubi separantur, diversa possunt consistere principia, tamen in contradictione oppositis, sicut se habent esse, & non esse, vel unum dumtaxat constitunt principium, vel saltem duo ad idem minus interventia: hinc non abs re dixerunt Terzibus 4. Met. q. 5. y. proter primum, & Javellus q. 9. illas duas propositiones importare idem principium secundum rem, & solum differre penes enunciationi modum. Deinde concessio etiam, quod haec sint duo principia diversa, falsum tamen omnino est, quod principium de impossibili pendeat a principio de necesse, imò res contra se habet, quod hoc ex illo sequatur, & in illo virtualiter continetur, & ita intelligendus est Scot. 4. Met. text. 10. licet ex amphibologia locutionis utramque recipiat expositionem: Et hoc suadet manifestè ratio, quia ex hoc, quod impossibile est aliquid simul esse, & non esse, sequitur statim, quod necesse est idem esse, vel non esse, quia inter illa non datur medium, unde licet illa consequentia, ubi datur gratia materia, non ita teneat in contrariis oppositis, ubi datur medium, tenet tamen gratia materiae, quatenus sit in contradictione oppositis, quia nullum habent medium. Consi. quia si etiam illa duo principia consistantur ex terminis dialecticis in hunc modum, impossibile est idem simul affirmari, & negari de eodem. Necesse est idem affirmari, vel negari de eodem, hoc secundum probari potest per primum, nam si de quolibet non est verum affirmare, vel negare, ergo de quolibet verum erit affirmare, & negare, quod est oppositum prioris principii. Nec responderi potest, quod datur medium, quia affirmatio, & negatio sunt contradictoria, inter quae nullum datur medium. Denique per se evidenter est contradictoria habere inter se repugnantiam, quam immediatam, illud enim prius fit statim palam ex ipsis terminis; potest rursus aliquo indiget discursu, & declaratione, unde illud prius commune est omnibus oppositis, quae ratione oppositionis inter se repugnant, potest rursus autem non omnibus convenit oppositis, ergo principium de impossibili, per quod explicatur repugnantia inter esse, & non esse, aut negare principium de necessitate, quo eorum immediatio exprimitur, & hoc sequens ab illo dependet: Tum quia prius secundum rationem est duas contradictorias non posse esse simul veras, quod explicatur per principium de impossibili, quod non posse esse simul falsas, quod explicatur per principium de necessitate, quia veritas a toto genere est prior falsitate.

55. Tertio neque modus dicendi Suarez satisfaciens, licet enim illa distinctio, quam facit, sit vera, estque discursu admitti potest tamen ad rem non facit, quia, in praesenti quaeritur principium omnium primum, & firmisimum tum in genere demonstrationis ostensivae, tum in genere demonstrationis ad impossibile ducens; fru-

frustra ergo assertur distinctio illa principiorum ad hunc quaerit decisionem, quia licet in serie demonstrationum ostensivarum dequir principium aliquid primum, quod amplius probari non possit, in demonstrationibus non itur in infinitum, sed tamen principium non debet vocari simpliciter primum, quia licet sit demonstrabile ostensivè, probari tamen ulterius potest in genere demonstrationis deducens ad impossibile. Deinde è contra, si hoc principium, impossibile est idem esse, & non esse, est primum dumtaxat in genere, seu modo demonstrandi per deductionem ad impossibile, quatenus omnis deductio ad impossibile in hoc tandem sistit, quod sequatur idem simul esse, & non esse, ergo non erit omnium principiorum, & in quocumque genere simpliciter primum, quae esse debet illud principium, cuius firmitas, & primitas hic quaeritur, ut vult Suarez; consequentia patet, quia quod est primum dumtaxat in serate; & determinato genere, non potest, nec debet dici simpliciter, & absolute primum. Tandem hoc primum principium ab Arist. assignatum medium validum est ad confirmandas conclusiones, seu principia per deductionem ad impossibile, sed etiam ad demonstrandas conclusiones à priori, ergo nedum dici debet primum principium dumtaxat in genere demonstrationis per deductionem ad impossibile, sed dici debet primum simpliciter, & absolute in quocumque genere demonstrandi assumptum consistit disp. 1. n. 50. ubi declarabitur quo pacto etiam per hoc principium possint à priori passionis entis de ipso demonstrari; rellat ergo, ut hoc principium dicatur simpliciter, & absolute primum, & in quocumque demonstrationis genere, licet ex sui natura aptius sit ingredi demonstrationem ad impossibile ducentem.

36. Quarto tandem magis adhuc decipitur Patruel, dum negat illud principium, impossibile est idem esse, & non esse, esse complexum, & pluribus terminis conflare; omnes namque fatentur hanc esse propositionem verè non alentem quia lae de se constat ly *impossibile idem esse, & non esse*, diversos terminos esse, & quavis non esse sit purum nihil, tamen fallit ex parte objecti nullam importare rationem termini, siquidem non est de ratione termini, quod semper significet quid reale, & positivum, ut constat ex Log. unde hanc est vera propositio, atque complexa oratio, Antichristi modo est nihil; Et sane non video quomodo in mentem huius viri figmentum adeo evidens venire poterit, quod nullus Philosophorum hætenus somniavit; Et hoc etiam ex ipso convincitur Arist. qui a. Met. agens de principiis complexis entis, inter alia connumerat illud, imò ait esse omnium primum, firmissimum, atque notissimum, ergo re vera hoc est principium complexum nedum quantum; ad modum enuncians, sed etiam quantum ad rem ipsam; quia ut ajunt, est propositio modalis de copulato extremo.

37. Rehat ergo, quod illud principium ab Arist. assignatum a. Met. *impossibile est idem simul esse, & non esse*, sit primum omnium principiorum, quo adhuc ita probari potest. Illud est primum principium simpliciter, quo non modo omnes conclusiones, sed etiam cetera omnia principia confirmari possunt, tanquam per illud, quod est fundamentum, & radix omnium principiorum; sed tale est præfatum principium ab Arist. assignatum, ergo &c. Major patet, Probat minor ab Alenfi a. Met. in expositione tex. g. hoc discitur, duplex est operatio intellectus, prima est, qua intelligit ipsum quodquid est, & vocatur simpliciter intelligentia, alia est, qua componit, & dividit, & in utraque operatione est aliquod primum; illud quod est primum in prima operatione, est ens, nihil enim potest concepti simpliciter intelligentia, nisi concipiatur ens, & primum in secunda operatione est hoc principium, impossibile est idem simul esse, & non esse, & hoc est, quia hoc principium fundatur in ente, imò sicut ens est primum in prima operatione, ita hoc principium in secunda, in secunda enim operatione nihil potest intelligi non intellecto hoc principio, sicut enim totum, & pars non potest intelligi, nisi intellecto ente; ita hoc principium omne totum est majus sua parte, non potest intelligi, nisi intellecto hoc principio firmissimo, & sic ut omnes conceptus simpliciter resolvuntur in ens, ita omnes conceptus compositi resolvuntur ad hoc principium, quia enim totum non potest simul esse totum, & non esse totum; ideo est majus sua parte, si enim non esset majus, non esset totum, sed pars; quare evidentia huius principii, omne totum &c. tanquam evidentia entis determinati radicatur in illa evidentia, quod non potest idem simul esse, & non esse, tanquam in evidentia rei determinatae, quæ est radix omnis evidentie rei determinatae.

38. Amplius quoque Zerbis cita. Met. q. 5. §. Propter tertium, declarat, quales esse debent primitas primi principii, & quo pacto debeat primum respectu cæterorum; non enim ideo dicitur primum simpliciter, ut excludatur compositio ex pluribus vocibus, vel terminis componentibus, cum ipsum sit resolvable in terminis incomplexis, ex quibus componitur, sicut complexum in incomplexum; nec ideo quia non habeat propositiones aliquo modo naturaliter priores eo, cum illa ens est ens quam includit primum principium, tanquam eius pars sit prior eo naturaliter, aut effective, sive materially, cum partes sint priores toto, sed ideo dicitur primum simpliciter, quia naturaliter simpliciter præcedit omnia alia principia complexa proprietate causalitatis, quia licet principia complexa, ex quibus ipsum componitur, ipsum præcedant in genere causæ efficientis; hoc tamen principium omnia illa præcedit in genere causæ finalis, quia propter hoc principium finaliter sunt omnes alie propositiones, ex quibus componitur; præcedit etiam hoc principium omnia alia prioritate doctrinae, prius enim ingreditur

virtualiter demonstrationem, quam aliquid aliud, quæ omnia fiunt sunt finaliter propter ipsum, ita ratione ejus virtualiter ingreditur demonstrationem, præcedit tandem omnia alia prioritate consequentia, nam licet sequatur, ens est ens, ergo quolibet ens est, vel non est, non tamen è contra, quia si nihil nec aliquid, nec aliquid alter, ad huc quolibet esset, vel non esset, non tamen ens esset ens, necita esset, nec verè esset, atque constaret primum principium cætera omnia naturaliter præcedere. Et hanc etiam ratione Soncinus a. Metaph. quaest. 31. tenet hoc principium esse simpliciter omnium primum, quia si aliqua propositio esset, cujus veritas ab hoc principio non dependeret, maximè esset illa, ens est ens, quia ipsa componitur ex primis terminis, & est affirmativa, & in ea idem prædicatur de seipso; sed principium illud potest esse verum, dato etiam quod illa non sit vera, nam si per impossibile nihil esset in rerum natura, nec posset esse, adhuc illa propositio esset vera, impossibile est idem simul esse, & non esse, & tamen illa esset falsa ens est ens, sive existens est existens, ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

59. In oppositum primo arguitur probando, quod illud principium impossibile est quod idem &c. non sit omnium primum, nam primum principium non componitur ex aliquo termino resolvable in priores conceptus, nulla enim propositio est majoris simplicitatis, quam sunt ejus termini, sed in illa propositione ponitur ille terminus idem, qui est resolvable in conceptum absolutum, & relativum, ergo &c. Tum 2. omnis propositio negativa, & modalis habet aliquam de inesse, & affirmativam priorem se, sed illa propositio est modalis, & negativa, ut de se constat, ergo &c. Tum 3. primum principium non potest probari, alioquin haberet aliquid prius se, sed principium assignatum, impossibile est idem esse, & non esse, probari potest per illud, à priori impossibile est duo contradictoria esse simul vera, ac etiam in utione à posteriori sic dicendo, impossibile est Petrum esse, & non esse, impossibile est Paulum esse, & non esse, ergo impossibile est aliquid esse, & non esse, cum ergo probari possit à priori, & à posteriori, nequit poni primum principium, quia prima principia continent virtualiter omnem veritatem, quoniam omnis propositio vera non prima est resolvable in aliam, quæ est prima inter omnes, sed principium allatum non continet virtualiter omnem veritatem, alioquin cognoscens ipsum posset naturaliter acquirere notitiam cujuslibet veritatis etiam supernaturalis, ergo &c.

60. Resp. ex dictis n. 52. argumentum probare dumtaxat, quod non sit primum in ratione propositionis, non verò quod non sit primum in ratione principii, Vel ex n. 58. negat major, ad hoc nam ut sit primum principium, non sufficit, quod non sit resolvable in aliam propositionem, à qua ejus veritas, ac evidentia dependeat. Vel tandem negatur minor, quia ly idem, est terminus transcendens, neque est propriè subiectum primi principii, sed notus determinatio subiecti, subiectum verò est ipsum ens, ut notavit Major. qu. 1. prolog. ubi fise agit de primo principio complexo, unde sentus ejus est, impossibile est idem ens esse simul ens, & non ens. Ad 2. resp. per idem, quavis enim in genere propositionum affirmativa sit semper prior negativa, non tamen ita est in genere principiorum, cui accedit, quod inquit Scot. & Ant. And. loc. cit. illud principium quavis secundum vocet sit negativum, realiter tamen, & formaliter esse affirmativum, nam æquivaleret illi propositioni *met esse idem non simul esse, & non esse*, quæ est affirmativa de modo. Ad 3. negatur minor, primum namque principium, nec à priori, nec à posteriori propriè probari potest, unde ad primam probationem negatur assumptum, potius enim res è contra se habet, quod duo contradictoria nequeunt esse simul vera, quia impossibile est idem simul esse, & non esse, & per hoc probatur illud, & hoc est notus illo, quia de hoc nulla est difficultas, sicut est de illo, ad aliam probationem inquit Doctor a. Met. q. 1. & 1. d. 3. q. 4. art. 2. D. quod cognitio singularium est tantum occasio cognitionis primorum principium, unde illa inductio propriè non est probatio, sed quedam manu ductio, quia quodcumque intellectus intelligit primum principium, magis ad hæret illi, quam propositio singulari inducenti; non est igitur vera probatio, sed tantum est quædam illatio à posteriori; ratio autem hujus est, quam supra innuimus n. 22. quia omnis universalis in materia necessaria est per prius vera, quam ejus singularis, ut prius verum est omnem hominem esse animam, quam Petrum esse animam, & ideo hæc inferretur ex illa à priori, esse autem; & non esse conveniunt cuilibet necessario sub istratione, & ideo illa est per prius vera, impossibile est idem esse, & non esse, quam illa, impossibile est Petrum esse, & non esse: ita enim respondet Soncin. loc. citat. & bene.

61. Ad 4. idem Soncin. ibi. negat minorem, nam primum principium continet virtualiter omnem notitiam, quam continet ejus termini, constituit autem ex terminis communissimis scilicet ex ente, ens autem continet virtualiter notitiam cujuslibet proprietatis suæ, & suorum inferiorum, quia si quis perfectissimè cognosceret naturam ens, sicut ea cognoscit solus Deus, cognosceret etiam omnes gradus, & perfectiones omnium entium, tantum, quæ sunt, quam eorum quæ possunt esse, quod autem intellectus nosfer ex notitia primi principii non possit naturaliter acquirere quamlibet notitiam, ideo est, quia non perfectè cognoscit

seit naturam entis significatam per terminos, ex quibus componitur primum principium. Sed univèrsale non ex integro continere virtualiter cognoscibilitatem sui inferioris minime univèrsalis jam ostendit disp. 6. de An. q. 7. ar. 1. n. 200. quia inferior semper addit aliquid quod nec formaliter, nec virtualiter in superiori continetur, sed solum potentialiter, nimirum illud, quod habet rationem contrahentis, & determinantis, talis autem continentia est tantum passiva per indifferentiam materiale, quam habet, ut per rationem illam contrahatur, & ideo nequit esse ratio illam determinatè cognoscens, nec consequenter constituta per illam, & ita inquit Doctor 2. d. 9. q. 1. §. Contra ista, & 3. d. 14. q. 1. litt. A. cap. 1. 1. prolog. loquens consequenter ad hanc suam doctrinam inquit §. Ad tertium, quod fice termini, qui accipiuntur in primis principii sunt communissimi, ita virtute talium principiorum non continentur de inferioribus, nisi prædicata communissima; quod probat ratione, quia medium non potest esse propter quod respectu passionis, nisi quæ includitur virtualiter in ratione illius medii; in ratione autem subiecti principii communissimi, non includitur propter quod aliqua passio particularis, sed tantum communissimas, ergo illud subiectum non potest esse ratio cognoscens aliquas passiones, nisi communissimas sub ratione communissimas, sed præter passionis communissimas sunt multæ alie passiones scibiles, ad quas non possunt rationes primorum principiorum esse media, quia non includuntur illas, ergo sunt multæ veritates scibiles, quæ non includuntur in primis principii; quod Doctor manifestat exemplo, quia illud, omne totum est majus sua parte, est includat istam, quaternarius est major binario, & alias fides de eodem prædicatur, non tamen includit illas scilicet quaternarius est duplus ad binarium, & ternarius se habet in proportione hexæ quæ altera ad dualitatem, nam ad illa prædicata oportet habere media specialia conclusiva ipsa.

62. Dices; si ergo omnes veritates non continentur virtualiter in illo principio, jam non erit primum principium, de cuius ratione est, ut omnes conclusiones scibiles, & omnia alia principia in ipsum tandem resolvantur. Negatur consequentia, quia ut etiam probè notavit Suarez. cit. n. 10. Arist. non vocat illud primum principium, quia virtualiter præfatio modo continet omnes alias veritates, & illo utatur Met. in demonstratione ostensiva, in qua propria passio ostendit soler propter quod de proprio subiecto, nam potius idem Arist. Post. c. 8. tex. 26. dicit non solere illud principium formaliter ingredi demonstrationem ostensivam, tum quia scientia non est ex communibus, tum quia hæc principia in sua communitate manentia, & non alio pacto contracta, sunt propria inepta ad peculiariter passiones demonstrandas de suis subiectis, quod & rursus loc. cit. declarat Doctor clarissimo exemplo, quia si sumas nimum principium, ut demonstremus, quod homo est risibilis; nunquam tamen per hoc principium, de quolibet verum est affirmare, vel negare (ubi nota quod hoc principium non distinguit ab illo, impossibile est idem de eodem simul affirmare, & negare juxta dicta n. 54.) plus potest inferri, quia quod sit risibilis, vel non risibilis; altera igitur pars prædicata diducit inquam scietur de subiecto per hoc principium medium determinatum, & ratio scindit risibile de homine. Dicitur enim primum principium ea præsertim ratione, quia ei ininitur totus modus demonstrandi per impossibile, per quem non solum omnes conclusiones, sed omnia etiam alia principia percluderi solent; quia omnis deductio ad impossibile in hoc tandem sistit, quod sequatur idem simul esse, & non esse, & quædam ad hoc non deducitur, non est satis declarata impossibilitas, postquam verò ad hoc deducitur, est, ibi sistitur tanquam in ultimo termino resolutionis, & notissimo principio; imò hoc demonstrationis genere potest primum principium assumi ad ostendendas etiam passiones inferiorum, ut potest risibilitatem de homine hoc pacto, de quolibet verum est affirmare, vel negare, ergo de homine verum est affirmare, vel negare risibilitatem, sed de eorum scibiles negari non potest, ergo debet affirmari; itaq. cum Aristot. innuit in primo principio virtualiter contineri omnem veritatem, intelligit per virtutem demonstrationis ducentis ad impossibile, & cum id negat Scotus, intelligit per virtutem demon-

strationis ostensivæ, quo autem pacto possit hoc primum principium etiam aliquam ingredi demonstrationem ostensivam, & per ipsum à priori, & ostensivè demonstrationem passionis entis de iplo ente, & quocumque contento sub ipso declarabitur disp. seq.

63. Secundo principaliter arguitur probando primum principium non esse notissimum, quia notior omnium propositio, & verior est, in qua idem prædicatur de seipso ex Boet. lib. de hebdomad. sed in propositione assignata ab Arist. pro primo principio idem non prædicatur de seipso, ergo &c. Deinde propositio affirmativa notior est negativa, quia notior est affirmatio, quam opposita negatio ex 4. Met. sed principium ab Arist. assignatum est propositio negativa. Rursus in syllogismo ex oppositis conclusio debet esse notior præmissis in falsitate, sed in præmissis accipiuntur opposita contradictorie, in conclusione autem negatur idem de seipso, ergo negatio ejusdem de seipso est notior opposito illius falsi principii, in quo dicitur duo contradictoria non posse esse simul vera, v. g. in hoc syllogismo, homo est animal, homo non est animal; ergo animal non est animal; conclusio est notior præmissis, in quibus habetur oppositum primi principii, & per consequens aliquid est notius in veritate primo principio scilicet oppositum illius falsi notioris. Denique primum principium ab Arist. positum potest aliquo pacto probari, & demonstrari contra negantes ipse ex eodem Arist. 4. Met. fide omnis bona probatio ex notioribus procedit ergo &c.

64. Resp. nullam propositionem veriorè, & notiorè esse illa, in qua idem prædicatur de seipso, loquendo de his, quæ possunt prædicari de illo eodem, unde verior est ista, & notior, homo est homo, quam alia de eodem subiecto, homo est animal, est vivens, est corpus &c. simpliciter tamen, & absolute loquendo verius, & notius est primum principium ab Arist. assignatum, quia in ipso fundatur quoque veritas propositionis identicæ, ideo enim homo est homo, quia impossibile est idem simul esse, & non esse. Ad 2. constat ex dictis illam propositionem esse affirmativam secundum rem, licet sit negativa secundum vocem. Ad 3. ait Doctor 4. Met. q. 2. ex illis syllogismis nihil rectè deduci sicut nec ex hypotheticis, & circularibus, addit deinde notius esse, quod impossibile est aliquid simul esse, & non esse, quam negatio ejusdem de se, quæ concluditur in syllogismo ex oppositis; possit enim fortasse quis negare, quod idem sit ipsum, sed nemo concederet unquam, quod idem sit ipsum, & non ipsum, nam quod idem non sit ipsum. Ad 4. negatur assumptum, re enim vera illud principium non potest alio demonstrari, nec ostensivè, nec per deductionem ad impossibile, ut ait Arist. 4. Met. cap. 4. non quidem ostensivè, quia nullum est aliud majus incommodum, quam illud ad quod deducit primum principium scilicet aliquid simul esse, & non esse; quod si contingat quempiam illud negare, ait Arist. dumtaxat superfluo modum, quo possit probari scilicet elenchicè non demonstrativè, arguendo scilicet contra negantem illud ex concessis; quod si nihil penitus concedat, contentendum esse, tanquam ridiculum respondentem, neque cum eo esse disputandum; Vel potius erit verberandum, aut igni exponendum, quousque fateatur non esse, idem comburi, & non comburi, vapulare, & non vapulare, ut ait Doct. 1. d. 39. ex Avic. 1. Met.

65. Tertio tandem argui solet, primum illud principium non esse firmissimum, probando, vel contradictoria eidem subiecto simul, & semel convenire posse, vel saltem inter ea dari medium; ex primo enim sequitur idem simul esse posse, & non esse, seu de eodem posse simul idem affirmari, & negari, ex alio verò sequitur de quolibet verum non esse affirmare, vel negare, quæ omnia destruant rationem primi principii; Sed contradictoria de eodem simul, & semel nunquam verificari posse, nec inter ea posse dari medium, sive per participationem, sive per abnegationem extremorum, jam ostentum est disputatione 9. Logic. quaest. 1. artic. 2. ubi est instituto contradictoria oppositionem, & ostendit naturam, & conditionem explicuimus, & ostendimus, quo pacto sit omnium maxima oppositio, unde de ea oppositione nihil hic superest addendum.